



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXVI Radbodvs. XL. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXV, BERTHOLPHVS, XXXIX ARCH.

Bertolphus ex Abbate Mediolacensi, Carolo Calvo plurimum favente, contra Waltonem Monachum à Ludovico Germanorum Rege obtrusum, eligitur, vir tanto honore & meliori tempore dignissimus: vixit namque in Ecclesiæ statu, Normannis latè omnia vastantibus. Ut proinde Sanctorum saltem pignora tutò quiescerent, subterraneis illa passim recondita locis, & sequentibus seculis diu ignorata latuère, donec reperta, cum multorum gaudio & salute in lucem denuo sunt eruta. Nec cautela in tempore fuit nimia; nam Godefridus Normannorum, & Sigefridus Dannorum Reges Coloniam, Treviros unaque urbes alias everterunt. In comuni eoque gravissimo rerum discrimine Virgines à S. Symphoriano nomen habentes, Trevis ad D. Modoaldi tumbam supplices impetrârunt, ut intra 30. dierum spatium omnes optata mors eripuerit, antequam civitas ipso Cænæ Dominicæ die sacro propemodum omnis solo est æquata. Miraculum accessit alterum, quo D. Paulini Basilica flammis ab hoste nequicquam petita fuit. Imò & ejusdem tumba in aere vacuo hæsit pendula in annos dein complures, post revulsas, quibus antea tenebatur, catenas ferreas. Contigere hæc anno seculi IX. 83. qui fuit Bertholpho Archipræsuli inter vivos penultimus: annis igitur sedit 14.

LXVI RADBODVS, XL. ARCH.

Radbodus non minùs, quàm Antecessores varii ex Abbate Mediolacensi Trevirensium peridoneus esse judicatus fuit Ecclesiæ, cuius curam gessit laudatissimam difficillimo sanè tempore, quo Normannorum alii post alios impetum tentârunt, & Hugo Waldradæ ex Lothario filius Lotharingiam Carolo erpturus, Godefridum Ducem evocavit. Verùm victor Carolus Hugonem interceptum oculisque privatum Pruniensî Monasterio

rio inclusit, mox & ipse non imparem sustinens fortem, dum Richarde legitima conjuge rejecta, aliarum amplexibus adeò se implicuit, ut sceptro regnòque orbatus, vix haberet, unde viveret. Radbodus interea post celebratam Moguntia Synodum, dono Arnolphi Imperatoris S. Servatii Abbatia auxit Trevirensis Ecclesiam. E contrario idem Imperator S. Maximini vel monasterium vel, ut vocamus, Abbatiam Meringaudo inter Seculares Duci obtulit, qui eapropter membris captus omnibus, meritò à Superis videri potuit esse punitus, praesertim cum non, nisi ad D. Maximinum fuis precibus est restitutus, ex monasterii hoste, ejusdem amicus effectus ad sepulchrum usque constantissimus. Ut resarciretur etiam damnum maximum à Normannis illatum, Ecclesiae Trevirensi à Ludovico IV. Imp. donatum est Sirckium cum juribus aliis intra & extra urbem vectigal exigendi. Hæc aliâque beneficia à Supremis Capitibus in Trevirensium Sedem collata, Radbodum suum Principem Authorem jure venerabantur, Gubernavit Ecclesiam suam ad annum usque 918. per annos Sedis 32.

SECULUM X.

LXVII. RVOTGERVS. XLI. ARCH.

Ruotgerus Radbodo animi magnitudine, & virtutibus aliis minimè impar, Cleri populique suffragiis in Archipræsulem electus est, non expectato ullius Regis annutu, uti nupè Ecclesiasticorum in jurium & bonorum violatores volebant. Adversa valetudine ut plurimum afflicto, & valetudinem pristinam votis omnibus flagitanti, D. Maximinus rem optatam promisit, si corporis sui Reliquias rursus hostium oculis ereptas, terræ gremio committeret. Data servataque fides Maximino, qui fidem sedulo servanti restituit sanitatem, Restituta sanitas tan-

tum